

Vg
4837



Q. 188a

29

D. Joh. Alaric

III, 681.

*in Apoc. xl. xlii. xliii. tubicrino septimo
in Leonis x. indulgentiarum praecones
et praecipue Sezelium applicat.*



RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS,

AD

MEMORIAM
REFORMATIONIS

Superiori Seculo Ao. clb lo xvii. in
Vigilia omnium Sanctorum, III. Kal. Novembr.
per B. LUTHERUM feliciter
coepit,

perendie, finitis sacris matutinis,
recolendam,

IN

TEMPLUM PAULINUM
UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES
& Cives Academicos
officiose ac decenter
invitat.





I quicquam in visionibus Johanneis attentionem meretur, sunt illud profecto *Tubicinia septem angelica* Apoc. II. 7. 8. 10. 12. IX. 1. 13. XI. 15. descripta. Sed qualium & quorum Angelorum? Non sane bonorum. Quia enim Boni tubas inflarent dissidiorum, hæreseon, & blasphemiarum? Quia Angelorum Princeps Christus c. II. 3. iis opponeretur? Nec est, quod nobis hæc cum *B. Dn. D. Matthia Hoe in Comment. ad h. l. p. 16. § 74.* & *Gerhardo Gravio in Tab. Apocal. sentientibus*, dissentientes alii objiciant vel *stationem* illorum, Angelorum *in conspectu Dei*, vel quod *iis tubæ datæ* sint, vel quod ob articulum, & verbum in præterito positum, *septem illi spiritus Dei* esse videantur, quorum jam cap. IV. 5. & cap. V. 6. Scriptor Divinus meminerat. Siquidem in judiciis Divinis etiam Angelos malos non raro *coram Domino* collocari videmus, *1. Reg. XXII. 2. Job. I. 6. Ap. XII. 10.* *Dare* vero sæpiusculum idem esse quod *permittere* dudum est quod *Flacius* docuit *in Clave p. 199. edit. recent.* Quid quod Angelis illis *tubæ* non à *Deo*, sed simpliciter *data* esse dicantur, datæ scilicet à Rhadamante ac Principe tenebrarum, cujus legati & emissarii erant. Quàm denique infirma argumenta ex articulis Græcorum petantur à *Glassio* traditum *Philol. S. Lib. III. Tract. II. Can. 3. p. 175. sqq.* nec quicquam usitatus esse in N. T. Enallage præteriti (*εσηνασι*) pro præsentis etiam pueri norunt. Ut ergo quatuor Angeli Hærefiarchæ ante Constantinum M. private nocuerunt retinendo ventos angelicos c. VII. 1. 2. 3. ita nunc *Heptas* Angelorum malorum ipso tartareo tubicinio positive nocent Ecclesiæ: acut Episcopi orthodoxi appellantur Angeli c. I. 20. II. 1. sqq. ita qui Angelos lucis mentiuntur *falsi nominis Doctores* vel *Pseudo-propheta* duobus distinctis Actibus, velut in Tragœdia quadam, hæc in theatrum producti. Et in *priori* quidem Actu quatuor potissimum introducuntur, non quod illo seculo-

rum

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG



rum tractu non plures extiterint Hæresiarchæ (erant enim tunc eti-
 am famosi *Donatus & Pelagius*, & alii) sed quod totidem his opposi-
 ta sint Concilia Oecumenica. Per Angelum igitur primum, ARIUM
 intelligimus τὸν Φιλαργίας ὀϊστῶ πυρῶμενον. Alter MACEDO-
 NIUS esse videtur ille πνευματόμαχος. Tertius prælusit NE-
 STORIO Theodori Mopsuesteni, ut creditur, discipulo. Quartum
 EUTYCHEM Archimandritam sive Abbatem Constantinopoli-
 tanum fuisse censemus. Actus posterior, qui à lugubri factorum,
 præcinio ac præconio Angeli per medium cœli volantis, & præ hor-
 rore trium sequentium tubarum *tergeminum VÆ* habitatoribus in
 terra denunciatis incipit c. IIX. 15. tribus admodum prolixis Sce-
 nis c. IX. X. XI. XII. seqq. absolvitur. Primum autem hæc in thea-
 trum prodit Angelus quintus h. e. BONIFACIUS III. Oecumenici
 tituli ut affectator, ita emendicator, ad cuius tubicinium secutus est
 lapsus stellæ, quæ, ut ex cap. I. patet, Episcopum notat ac illustrem
 aliquem ἱεροφάντην, unum non individuali, sed successiva unitate.
 Succedit Angelus sextus, qui, ut omnia consonant, MAHOMET fuit
 Pseudo-Propheta. Hic se aperuit, miro quodam fato, sub idem fere
 tempus, seculi nempe septimi principium, uterque *AntiChristus Ma-*
gnus, tum Paganus per *Mahometem* in Oriente, tum Ecclesiasticus
 per *Bonifacium III.* in Occidente. Sequitur tandem, quem hic præ-
 primis intendimus, & cuius gratia hæc omnia præmittere volumus,
Angelus in ordine Septimus. Et quia hoc ultimum tubicinium *B.*
Danhauero Ἀπὸ τῆς ἱστορίας. Sect. I. art. IX. p. 365. iudice, totum Eccle-
 siæ statum à nato LUTHERO, (cujus festivitatem anniversariam,
 perendiæ celebrabimus) ad hæc usq; tempora complectitur, non abs-
 re fuerit, Personas & actiones illius scenæ, quantum ad prima Refor-
 mationis momenta fat est, ex cap. XI. & XII. paulo attentius perlu-
 strare. *Septimus ergo Tubicen*, si feriem Historiarum & eventuum
 conferimus, est LEO X. *delicatulus Pontifex*, JULIO militari *suffe-*
ctus, auri patrio more sitientissimus, Romane Florentinam jungens ava-
 ritiam, cuncta pecuniis venalia habens, Basilicam D. Petri à Julio in-
 choatam ita extruens, ut lapides die secti nocte ad palatium grande
 Medicorum Florentiam transvolarent. Sanctus adeo, ut inter vi-
 na & lautitias Evangelium Christi, ut quæstuosam sibi suisq; fabulam
 irrideret: quietis & otii cupidissimus &c. Quibus verbis, animi ejus

characterem ex probatissimis Scriptoribus graphice depinxit Jo. Clu-
verus *Epitom. Histor. p. 649. edit. Lugdun. anno 1657.* Hujus Tubici-
nis clangor turpissimam indulgentiarum nundinationem in ore ha-
bentis toto orbe insonuit. Nam cum alioqui (recito verba Thuani,
sed quanti Historici! ad ann. 1515.) ad omnem licentiam Pontifex iste
sponte sua ferretur, Laurentii Puccii Cardinalis hominis turbidi, cui
nimium tribuebat, impulsu, ut pecuniam ad immensos sumtus undiq;
corrogaret, missis per omnia Christiani orbis regna diplomatis, omnium
delictorum expiationem ac vitam aeternam pollicitus est, constituto
precio, quod quisq; pro peccati gravitate dependeret: in eamq; rem per
provincias questores & araria ordinavit, quibus additi praecones, qui
tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, & oratio-
nibus artificiose compositis, propositisq; palam libellis, rei efficaciam im-
moderatè extollerent. Qui sane Praecones Tubarum vices in hoc
tubicinio sustinere, per quas LEO Tubicen, (perinde ut Tyrri olim
suas merces cantu & cytharæ sono evulgarunt *Ezech. XXVI. 13.*) in-
dulgentiarias quoque merces simplici praepriis Germaniæ ob-
trudere non erubuit. Horum, ut constat, primipilus fuit Johannes
Tezelius Pirnensis Misnicus, Lipsiæ tandem mortuus & apud Pauli-
nos sepultus Hæreticæ, pravitatis hæreticissimus Inquisitor, ab Alber-
to Brandenburgico, Germaniæ Primate, Moguntino simul & Magde-
burgico Archi-Episcopo, vi pacti cum Romano Institore ac Tubici-
ne, strenue adjutus, non insolito duntaxat verborum sesquipedalium
strepitu, & impudentissimis ex suggestu concionibus in Saxonia præ-
cipue habitis, sed & sparsis Libello, quem *summariam instructionem*
appellavit, nihil non scelerum Papalibus deleri indulgentiis præ-
dicabat, & una cum reliquis iniquitatis Pontificiæ ministris per *lustra*
& *popinas* (ut iterum verba Thuani mea faciam) *cottidie sine pudore*
in alea lusum, ususque turpissimos, potestatem extrahendi animas
defunctorum ex igne expiatorio profundebat. Quo ipso non parum
offensionis ac scandali in animis auditorum excitatum fuit. Ma-
jus erat, hoc impio tubicinio Christi meritum infatuari ac blasphe-
mari, hominum vero ad cœlos usque extolli, & salutarem doctri-
nam de hominis peccatoris gratuita coram Deo, per solum Christum
vera fiducia apprehensum, justificatione penitus everti, misellosque
peccatores in ineluctabilis desperationis abyssum præcipientes agi.
Et

Et hoc *Væ tertium* illud, hæc ista *Malorū* Ilias, quæ LEONE X. tubi-
cine intonante secuta est. Sed uti alias Deus benignissimus pro infinita
sua potentia & sapientia etiam pessimas hominū actiones in optimum
à se præstitutum finem dirigere novit, ita & hæc contigit, dum licentio-
sior ista indulgentiarum Papalium promulgatio occasio esse debuit
ad stupendum illud *Reformationis* opus, quo ut in *comm.* 15. & 19. cap.
XI. legitur, *Regna mundi* sub jugo AntiChristi Romani per integrum
fere millenarium gementia, *Dominici nostri & Christi ejus* postliminio
facta sunt: quo *apertum fuit templum Dei in cælo*, h. e. innotuit vera
Ecclesia, quæ hæctenus latuerat, communionem habens cum sanctis
in cælo, offendiculis, quæ antehac in illam intraturis posita erant, è
medio sublatis: *quo visa est arca Testamenti ipsius*, h. e. Ecclesiæ suæ
præsens agnitus fuit CHRISTUS, Homo sub Legem factus, *Gal. IV. 4.*
ut fieret nobis à Deo justitia, *1. Cor. I. 30.* in quo Deitatis omnis pleni-
tudo corporaliter inhabitat *Col. II. 9.* ad quem accedentes veluti ad *ila-*
shærov habemus unionem cum DEO, *Rom. IIX. 25. V. I. 2.* & veram
omnium peccatorum indulgentiam, *1. Job. I. 7*: propter quod *Gentes*
irata fuerunt. Vix enim dici potest, quanta cum indignatione & ira
hæc res apud Romanenses fuerit excepta, & quantos dolores ac acerbi-
tates ipsis pepererit! Tristes quippe viderunt, & summa cum animi
consternatione audiverunt purioris Evangelii propagationem præ-
ter omnium expectationem latissime se diffundere & felicissimo cur-
su in multa diffusa regna disseminari: *quo deniq; facta sunt coruscatio-*
nes, & voces, & fulmina, & terra motus, & grando magna, h. e. plenus
fuit mundus vocibus de veritate ac falsitate, lumen super lumen af-
fulsit, hostes unus post alium destructi sunt, rumores auditi, bellum
conflatum est, calamitates passim & persecutiones ob Evangelium
accidère, ut vix quisquam veræ Ecclesiæ adhærens in tuto esse potue-
rit. Sed audiamus quo *medio & instrumento* sapientissimus DEUS
hæc usus fuerit. Prodit nempe, post has voces gratulatorias turbæ in-
numerabilis Candidatorum palmas gerentium, & viginti quatuor Se-
niorum coram DEO de thronis in facies suas procidentium, eumque
adorantium, novum cap. XII. in theatrum cœleste, phœnomenon: *Mu-*
lier scilicet amicta sole, sub cujus pedibus erat Luna & in capite corona
stellarum duodecim. Et *gravida clamabat parturiens, & distorquebatur*
ad pariendum, V. I. 2. Per Mulierem parturientem Pontificii pleriq; MA-

RIAM Θεοτόκον intelligunt, quam Corn. à Lapide ad h. l. p. 206. *Ecclesiæ*
Aviam vocat, quia illum peperit, qui Parens est Ecclesiæ, adeoque hoc
 Solis, ac Lunæ, stellarumve amictu pictam in altaribus ac templis pas-
 sim collocant. Sed quamvis ad B. *Virginem*, partu filii masculi, & per-
 secutione Tyrannorum hic alludi, nolimus inficiari: quia tamen nec
 ipsi Mariolatæ concedunt, Mariam Deiparam clamasse, & cum dolo-
 re filium suum peperisse, multo minus quæ de tempore sustentationis
 in deserto habentur v. 6. in Mariam congruunt; nos rectius cum ple-
 risq; Interpretibus *Ecclesiam*, mulieri in Scripturis aliquoties compa-
 ratam Es. LIV. 1. Gal. IV. 27. 1. Cor. XI. 3. Eph. IV. 15. sub hac pictura sive
 emblemate significari statuimus: non tamen *Ecclesiam fidelium Ver-*
Test. (quæ post *Aretam*, *Rupertum*, & *Barradam*, Jo. Cocceii in *Cogitat.*
de Apocal. p. 59. est sententia) nec etiam (quod *Ludovicus ab Alcasar* ad
 h. l. p. 615. pro certo habet) *Ecclesiam primogenitam*, quæ post *Judaici*
populi obdurationem ad Gentes Evangelium prædicatura migravit: Sic
 enim cum immenso prophetiæ hiatu, & turbatione seriei historicæ,
 contra scopum apocalypticum, ex propheta futurorum faceremus
 prophetam præteritorum: Sed (ut *Ribera* Scriptor Pontificius ex *Me-*
thodio Tyri, & *Andrea Cæsareæ Cappadociæ* Episcopo tradit, quorum
 ille seculo tertio, hic quarto floruit, & in Apocalypsin uterque scripsit)
Ecclesiam in novissimis temporibus sub AntiChristi persecutione constitu-
tam: qualis (recte monente B. *Danhauero* *AVIA ΧΕΙΡΩΝ Φ. Sect. I. art.*
IX. p. 367.) illa fuit ante LUTHERUM, imbecilla sc. ac infirma virium,
amicta sole CHRISTO, nam hunc in Baptismo induerat: *Luna pro basi-*
pedum usa, tanquam contemtrix instabilium mundi bonorum, & sua-
 rummet *Φάσεων* ac vicissitudinum index: tot, quot signa sunt Zodiaci,
stellis, i. e. duodecim Apostolis, qui brevi tempore totum terrarum or-
 bem radiis suis emensi, *corusca: in utero habens ac parturiendo è cruci-*
atibus clamans. Laudatur Homerus, quod parturientis dolores ad vi-
 vum expresserit. Sunt & hæc verba, quæ Spiritus S. adhibuit ad eam rem
 valde efficacia, *καὶ ζεῖ ὡδίνου καὶ βασανίζουμένη*, difficili quippe labo-
 rans puerperio è viscerum convulsione ac acerbo nixu, *nixu* puta spi-
 rituali, qualis erat *MONICÆ* matris Augustini, *majore sollicitudine*
hunc filium suum parturientis spiritu, quam carne pepererat, ut ipse te-
 statur *Lib. V. Confess. c. IX.* Hi ergo dolores Mulieris Puerperæ mystice
 sunt exponendi, de *lamentis, querelis, vaticiniis, ominibus, votis, & su-*
spiritis

spiritibus Ecclesiae pro Liberatione à Captivitate Babylonica. Lamentorum & querelarum, votorum atq; suspiriorum non modo privatim sed & publice auditorum plena est superiorum seculorum Historia, de quibus *Gerhardus Tom. I. Confess. Cathol. Lib. I. Part. I. c. IV. Nic. Hunnig in Demonstrat. minister. Lutheri p. 71.* Pertinent huc centum gravamina, Hadriani Pontificis Oratori Norinbergæ A. MD XXIII. exhibita, apud *Hordlederum Germanice von Ursachen/ &c. Lib. I. c. I.* Latine apud *Goldastum Tom. I. Constit. f. 456,* quæ in compendium redegit *Flacius* apud eundem *Hordlederum von Rechtmaßigkeit &c. L. IV. c. IX. memb. 30.* Inter cætera sic ibi Principes & alii S. R. I. Ordines loquuntur; *Majori populi parti jam pridem persuasum est, ut pro comperto habeant, nationi Germanicæ à curia Romana per certos abusus multa & magna gravamina & incommoda illata esse. Paulo post: Nisi ejusmodi abusus & gravamina, simulq; certi articuli, quos seculares Principes, juxta hæc, specialiter designatos scriptis exhibebunt, fideliter reformatur, vera pax & concordia inter Ecclesiasticos, Secularesq; Ordines, hujusq; tumultus & errorum extirpatio per Germaniam minime speranda est.* Ad Vaticinia vero quæ ex optimis Autoribus magno numero collegit post *Jo. Wolfium Lectio. Mem. Centen. XVI. Tom. II p. 77.* antea laudatus *Gerhardus Tom. V. LL. de Ecclesia §. 292. p. 499. edit. in fol.* dignum est quod referatur somnium vere propheticum Electori Saxonie FRIDERICO Sapienti, hac ipsa nocte, quæ die sequente LUTHERUS adversus Tezelium theses suas foribus templi arcis Wittebergensis affixit, divinitus immisissum, & tribus vicibus per intervalla repetitum, novisq; circumstantiis vestitum, ac si Monachus quispiam penna de anseris centenarium accepta & Romam utque pertingente Leonis X. aures perforasset & coronam Pontificis concussisset. Somnium quo ad omnes circumstantias ex ore *Spalatini* refert *Antonius Musa* apud *Dn. D. Job. Olearium in Der wunderl. Güte Gottes. p. 173. sqq.* Ominibus futurorum factorum à *Danbauero* l. c. p. 368. enumeratis (ut sunt, *dejecti fulmine Angeli supremi Hadriani molei impositi portentum, ipso jubileo anno 1500. visum: Saxum ingens, Christi natali die, anno 1522. prodigiose decidens, ac pæne Pontificem Hadrianum opprimens: Papa asinus & Monachus vitulus, de quibus monstris Lutherus tom. II. Jen. p. 287. 289. Typographia deniq; paulo ante inventa pegasus quasi alas libris Lutheri, & aliorum reformatoriis supeditans: una cum Literarum bonarum quædam παλιγγενεσία & reflorescentia,)* hoc unum addimus, quod Romæ A. MDXVII. admirandis plu-

pluribus aliis characteribus insigni contigit. Crearat hoc anno Leo X. multa aureorum millia eo modo corrasurus, Cardinales triginta & unum. Et ecce! ipsissimo solennium die, tanto impetu Roma concussa, fuit, ut Deus ingenti fulminis tempestate tonitruumque fremitu templum, in quo Sacra peragebantur, feriret, ac ligneus ille puerulus è gremio sculptæ Mariæ, clavesque è Petri manibus exciderent: quod Romanorum non pauci ruinam sedis Romanæ haut vanè (nam id eventus instantis Reformationis luculenter comprobavit) interpretabantur. Vide post *Valer. Anselmum in Chronic. Jo. Balaam de Actis Pontific. Lib. VII. p. 534.* Inter tot nixus labores atq; dolores Mulier illa peperit Filium masculum recturum omnes Gentes virga ferrea, v. 5. Datur alias triplex Ecclesiæ partus. *Unus*, quo CHRISTO parit filios spirituales per Verbum & Sacramenta, Es. LIV. 1. Ezech. XVI. 20. I. Cor. IV. 15. *Alter* quo in his filiis suis ipsum CHRISTUM efformare nititur, Gal. IV. 19. *Tertius*, quo singularibus donis instructos Heroes in lucem edit. Quia vero Johannes non id describere vult, quod vel in Ecclesia vel in fidelium cordibus quotidie fieri solet, sed rem singularem ac prius inauditam; ideo nunc missa parturitione seu Christi seu Christianorum mystica, foetum hunc cum *B. Danbauero* l. c. p. 370. de *Theandro ac insigni Heroe*, qui bono Ecclesiæ natus sit, ac nominatim de MARTINO LUTHERO exponimus, (nomen ominosum à fortitudine ac puritate adepto: *Martinus* enim à Marte dictus, fortem bellatorem., *Lutherus* Saxonica dialecto purum & sincerum notat) Heroe ac vere masculino Filio, h. e. non molli, sed alacri, forti, generoso, ac strenuo Viro, qui negotium Draconi faceffere & fortiter se ipsi opponere ausus est: Id enim vox Masculi indubitanter innuit. Nam alias satis fuisset, si Filium peperisse dixisset Johannes, sed ut emphasin indicaret, ἀπειρα addidit. Hic Foetus omnes gentes virga ferrea recturus erat, non illa quidem quæ Christo incommunicabiliter propria Ps. II. 9. 10, sed quam etiam Ministerio suo in his terris commisit, virga rectitudinis Ps. XLV. 7. h. e. prædicatione verbi, quod sceptrum ipsius regium. Si quidem *Lutherus* Witenbergæ in Saxonia Theologiam professus, refutatis primum ex Verbo Dei, mox damnatis præconum indulgentiarum concionibus, eo postremo devenit, ut ipsam Pontificis potestatem, quam sibi per illa diplomata arrogarat, in dubium revocarit, ac tandem ad doctrinæ examen successu temporis horrendum in modum labefactatæ, crescentibus per contentionem animis, Scripturæ testimonio fretus descenderit.

rit. Sed quæ Lutherus, in quavis, virga ferrea vexisse omnes Gentes dici po-
tuit, cum non omni is Germania, nedum omni Genti Evangelium præ-
dicarit? Nimirum quo non pervenit pes LUTHERI penetravit vox &
sonus ejus, adminiculante etiam Carolo V. & quæ erat providentia di-
vina, ipsomet Legato Pontificio, cujus precibus ille Imperiali ac Regia
autoritate Confessionem Augustanam in varias lingvas transferri, ad-
eoque in totum terrarum orbem disseminari mandavit, ut legere est
apud Georgium Cælestium Hist. A. C. Tom. II. f. 190. Quod etiam Principes
ac Status in præf. F. C. his verbis testantur: Confessio in Comitibus Augu-
stanis 1530. Imperatori Carolo V. à majoribus nostris Germanico & Latino
idiomate oblata & Ordinibus Imperii proposita, denique ad OMNES homi-
nes Christianam doctrinam profitentes, adeoque in TOTUM TERRA-
RUM ORBEM sparsa UBIQUE percrebuit, & in ore ac sermone OMNI-
UM esse cæpit. Quæ verba licet Bellarminus in Judicio de Libr. Concord.
mendac. I. quæ est reverentia erga tantos Principes, false admodum
perstringat, ac illustre mendacium vocitet, alibi tamen αὐτοκατασκευ-
τῶν ipse veritati testimonium ἐκοντι αἰκνοντιζε θυμῶν præbet. Nam in
Præfat. Tom. I. controv. Quis, ait, ignorat pestem (doctrinam dicere de-
bebat) Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam, mox Germaniam
pæne totam occupasse, inde ad Aquilonem & Orientem profectam, Da-
niam, Norwegiam, Sveciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumsis-
se, tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam,
Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, brevi tempore popula-
tam, ad extremum Alpes transcendisse & in Italiam usque penetrasse. In O-
ratione vero (Quale animal sit Lutheranus?) Tom. IV. controv. præfi-
xa: Nova hæc, dicit, secta (Lutheri) instar pestiferæ tabis, sese per varias
Regiones effudit. Nam non contenta occiduis & aquilonaribus regnis ad
Orientem quoque & meridiem, ad Græcos, ad Indos, ad ipsum novum or-
bem navigare ausa est. Et ita LUTHERUS virga ferrea verbi divini
(quod sicut malleus est efficiens ut dissuat petra, Jer. XXIII. 29.) omnes
Gentes regebat, juxta promissum Apoc. II. 26 27. Habemus Reforma-
tionis organum; Fætum sc. Masculum. Succedunt Fata. Prodit enim
contrario hoc mulieris parturientis Φαινομένη perterritus ex parte ad-
versa Draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in
capitibus suis Diademata septem v. 3. Draco DIABOLUM notat, quæ
Draco & Serpens antiquus, mox v. 9. dicitur, non tantum à larva

B

quam

quam assumpsit in paradiso, sed quia magnum corpus habet in mundo, quod regit, & per quod nocet. Solent autem magna imperia mundana per emblemata *bestiarum* & *Draconum* adumbrari, Es. XXVII. 1. Ezech. XXIX, 3. *Magnus* vocatur, h. e. robore valens, & *rufus*, i. e. truculentus, *homicida* Joh. IIX, 44. & Sanctorum sanguine rubens. *Petapita* ejus *coronata* Reges mundi, *vev p'aw a su* Draconis, quorum ministerio in persequenda Ecclesia utitur; per *Cornua*, ipsorum organa, fortia tamen & robusta intelliguntur. Sacer Pythagoræis *Denarius*, & sacer Scripturæ *septenarius* synechdochice pro numero incerto & indeterminato hinc sumi videntur, allusione tamen simul facta ad *decem regna*, quibus imperium Romanum olim constitit, & *urbem septicollem* Romam. *Draco* hic visus est *cauda sua detraxisse tertiam partem stellarum* à caelo inq; *terram coniecisse* v. 4. quando sc. nunc vi, nunc blanditiis suis insignes Ecclesiæ Doctores & Viros illustres alios ab orthodoxa fide abduxit, & ut metu persecutionum & amore terrenorum apostatæ fierent, effecit. *Idem stetit ante Mulierem, quæ paritura erat, ut, cum peperisset, prolem ejus deglutiret*. Vix enim Reformationis opus cœperat Lutherus, & Draco hic infernalis Rictum adversus eundem per organa sua, ut devoraret, expandebat. Docent hoc persecutiones, *quas* (*Danbaueri* verbis utor l. c. pag. 371.) *natus Ecclesiæ bono Heros, & quicunq; ejus causæ obstetricabantur experti per adversos primum Disputatores ac collocutores, & Eccium verbosissimum, Cajetanum fallacissimum, Trevirenses insidiosissimum: deinde scriptores & damnatores Lovanienses, Colonienses, Sorbonistas, Ambrosium Catharinum, Britannie Regem Henricum Octavum: tum persecutores atrocissimos librorum, personæ, sociorum doctrinæ, Leonem maxime Pontificem, & Georgium Saxonem: Comitiam itidem Wormatiensiam, Spirensiam, Norinbergensiam, Ratisbonensiam: inquisitiones deniq; exilia & martyria eorum, qui causam Lutheri secuti Romane idolomanie contradixere, Henrici sc. & Johannis Monachorum, Bruxellis, inquisitore Hochstrato, rogo datorum, Henrici Zutphanensis, Dithmarsorum, & Leonhardi Cesaris insano Bavarorum Zelo concrematorum, nec non Petri Brulii Tornaci exusti.* Sed nihil his igneis spumis suis Draco igneus obtinuit. Nam & Mulieri Ecclesiæ, & Filio ejus Heroi, benè DEUS consuluit. FILIUS enim raptus est ad Deum & ad thronum ejus. v. 1. Uti Christus peracto Redemptionis opere in cœlum ascendit &

ad dex-

ad dextram Dei Patris confedit: ita *Lutherus*, Reformationis negocio consummato, persecutionibus Draconis & ejus squamarum, per beatam analysin, subtrahendus ad Deum raptus, inque thronum Christi, omnibus Electis ac Servis Dei fidelibus promissum (Confer Apocal. III. 21.) collocatus fuit. MULIER autem fugit in desertum ubi locum habuit paratum à Deo v. 6. In Saxonia enim, quæ si cum Italia comparetur, est quasi desertum, de tutiori loco DEUS Ecclesiæ suæ providit, provisæ per Electorem FRIDERICUM Sapiensem & Successores gloriosissimæ Recordationis alimenta præbuit. Interea Christus Ecclesiæ Gubernator supremus, ad prælium (quod proprie ac principaliter ad hæc nostra & Patrum tempora pertinere, multis argumentis evincit B. Matthias Höe in h. l. p. 54.) se adversus Draconem armavit, atramento potius, quam sanguine, gladio oris, quam ore gladii, peractum. Prodierunt enim hinc Draco cum suis & Scriptoribus & Proscriptoribus, illinc MICHAEL CHRISTUS (qui est sicut Deus, sive par Deo, Dux populi sui Dan. X. 13. 21. XII. 1. & Princeps militiæ cælestis Jos. V. 13.) cum Angelis suis, h. e. orthodoxis Ecclesiæ tum Doctoribus tum Confessoribus v. 7. Eventus prælii hic extitit, ut victoria staret à CHRISTO v. 8. Draco vero cum Satellitio Anti-Christiano è cælo gratiæ, & hominum Evangelica luce collustratorum, projiceretur v. 9. in terram, h. e. pectora infidelium, amorem veritatis non recipientium, ut salvi fierent, 2. Thess. II. 11. quæ Diabolus Ecclesia pulsus occupat, Matth. XII. 43. Effusus propterea est Chorus Sanctorum Cælitum in hymnos, & acclamationes gratulatorias, v. 10. 11. 12. Et quamvis Draco se projectum esse videns in terram, persecutus sit Mulierem Ecclesiam v. 13. persecutionibus cum operis interimisticis, tum apertis inquisitoriis, imo Balænae ac Φουνηρῶ ἰνσταρ è conciliabulo præprimis Tridentino anathematum, & mille adversitatum aliarum flumen, post mulierem evomuerit. v. 15. servata tamen est aquilinis Providentiæ divinæ alis Sanctissima hæc Christi Sponsa v. 14. & à terra debiscente, h. e. Diis & Nutritiis Ecclesiæ terrestribus, flumen quasi in se derivantibus, Electoribus JOH. FRIDERICO, MAURICIO, aliis adjuta, inque tutiore aliquandiu loco per Pacem maxime Passaviensem (quæ cautum est, ne quis Protestantium propter Religionem infestaretur) constituta fuit, v. 16. Dracone interim ad arenam maris, consultabundi more, consistente

79 4837
stente, ut novam inde suo tempore Medusam in Ecclesiæ finem educat,
& cum reliquo feminis ejus, ad finem usque seculi *αἰωνῶδες* con-
certet v. 17. 18. Hoc enim illud *Væ* est, quod denuo terricolis in-
terminatur S. Dei Spiritus: illa, inquam, descendens Diaboli, sæ-
vissimi Draconis, *Ira* modicum temporis majori virulentia pensa-
turi, v. 12.

Nos de victoria in posterum quoque contra Serpentem anti-
quum virtute CHRISTI impetranda securi, memoriam nunc anni-
versariam Reformationis salutaris à LUTHERO Heroe Divino ante
hos Centum & Sexaginta quinque annos Vigiliâ omnium Sancto-
rum feliciter coeptæ, in Academia non minus, quam in Ecclesia,
ad nutum Serenissimi ac Potentissimi ELECTORIS Saxoniae JO-
HANNIS GEORGII III. Paternæ & Avitæ pietatis æmuli, festivita-
te solenni recolimus, cum choro cœlesti *Trivium* illud iterum iterum-
que incinentes: Nunc facta est salus & potentia & regnum
Dei nostri, & potestas CHRISTI ejus: quia dejectus est
accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos in
conspectu DEI nostri die ac nocte. Et ipsi vicerunt eum
per sanguinem Agni & per sermonem testimonii sui: &
animæ suæ prodigi fuerunt usque ad mortem. Pro-
pterea hilares estote cœli, & qui habitatis in eis. Ac
eum in finem, die perendino XXXI. Octobris, Præstanti Eruditione
Juvenis M. WILHELMUS Hassert/ Lipsiensis, Orationem de *Sana
Religionis Restitutione per LUTHERUM*, ex umbone ædis Panlinæ,
publico nomine habebit. Processio fiet è Sacello Nicolaitano post
peracta sacra matutina. Cui interesse solennitati UTRIUSQUE
REIPUBLICÆ PROCERES ac Cives nostri, inque hymnos *Trivium*
& jubileæ, non in facundo hoc Oratore præcunte, se totos effunde-
re, & ita pietatem erga DEUM, obsequium erga PATREM PA-
TRIAE declarare ut velint, est quod officiose ac perhumaniter con-
tendimus atque rogamus. PP. Dom. XX. post Trinit. A. R. O.
cIo Ioc LXXXII.

Literis GEORGIANIS.

ducatur
con-
lis in-
li, fæ-
penfa-
anti-
anni-
o ante
ancto-
lesia,
ia JO-
tivita-
erum-
num
usest
s in
eum
ui: &
Pro-
Ac
itione
e *Sana*
nlinæ,
o post
SQVE
s J. -
unde
I PA-
r con-
R. O.

ULB Halle 3
004 969 715


f

VDT7



iis opponere
*Hoe in Com
cal. sentient
Angelorum
articulum,
esse videant
meminerat.
non raro cor
XII. 10. D
quod Flacin
lis illis tuba
Rhadamanth
Quam deni
tur à *Glassio*
quicquam u
fenti etiam
te Constanti
cos c. VII. i
tubicinio pe
lantur Ange
nominis Doct
lut in Tragœ
dem Actu qu*



ohanneis at
fecto *Tubicinia*
12. IX. 1. 13. XI.
vorum Angelo
nim Boni tubas
& blasphemia
christus c. IIX. 3.
Dn. D. Matthia
pio in Tabb. Apo
tionem illorum,
nt, vel quod ob
n illi spiritus Dei
criptor Divinus
Angelos malos
II. 2. *Job. I. 6. Ap.*
ittere dudum est
vid quod Ange
ntur, data scil. à
emissarii erant.
æcorum petan
3. p. 175. sqq. nec
ήνας) pro præ
Hæresiarchæ an
ventos angeli
am ipso tartareo
thodoxi appel
mentiuntur *falsi*
tis Actibus, ve
Et in *priori* qui
quod illo seculo
rum

